Correctores pœnitentiariæ		II.
Sollicitatores de Ianizaris		C.
Correctores Archivii		X.
Scriptores Archivii		X.
Magiſtri plumbi		III.
Secretarii bullarum ſalariatarum		VIII.
Regiſtratores bullarum earundem		IV.
Magiſtri regiſtratarum bullarum		IV.
Auditores Contradictarum		XIV.
Magiſtri ſupplicationum		VI.
Notarii Cameræ Apoſtolicæ		IX.
Scriptores regiſtri Supplicationum		XX.
Notarii Auditores Cameræ		X.
Notarii Rotæ		XLVIII.
Notarii Vicarii Papæ		IV.
Notarii Gubernatoris civilis.		II.
Notarius Maleficiorum		I.
Notarius Cancellariæ		I.
Præſidentes Ripæ		CXLI.
Portionarii		DCXII.
Curſores		XIX.
Servitores	Armorum	XXIV.
	Virgæ rubeæ	XVI.
	Catenæ ſacri palatii	LXII.
	Portæ ferreæ.	XXVI.
Equites levis armaturæ		C, vel CC.
Bombardarii milites vel ſclopetarii		CCC.
Helvetii, cuſtodes portarum palatii Pontificii, & quotidianas excubias agentes		CC.
Interdum etiam		CCC.

Porro Dominium Eccleſiaſticum maximi eſt momenti, tam per ſe, quam ratione illius à quo poſſidetur. Quia tamen Papæ optime norunt quantum ipſis ab omnibus deferatur, propter ſupremam in ſpiritualibus dignitatem, & quia plerumque jam provectæ ætatis ad hoc faſtigium aſcendunt, non magnopere ſtudent limites ſuos munire; neque ſane neceſſe eſt; nam cum limites jungant ab una parte cum regno Neapolitano, ab altera cum Venetis & Duce Hetruriæ, quibus hoc jam ſatis notum, nihil ſe Papæ poſſe eripere, quod non mox reſtituere cogantur ingratiis, non eſt quod ſibi à vicinis ſuis metuant. Redditus Papæ ad decies & octo centena millia coronatorum putatur aſcendere; ſed potentia illius & authoritas longe major eſt, neque ex ærarii copia debet cenſeri; nam ratione præeminentiæ quam ſibi vendicat, arbiter non modo Italiæ eſt, ſed & totius Chriſtiani orbis; omnibus ſingulorum Principum cauſis, controverſiis, actionibuſque ſe immiſcet, & plurimum poteſt etiam ubi nihil poſſe videtur, & quacunque inclinat, magnum ubique adfert momentum, aliorumque conatus aut animat, aut enervat; quare & à potentiſſimis officioſe colitur, & ab impotentioribus humiliter honoratur. Huic tamen potentiæ aut augmentum aut decrementum affert ipſius Papæ aut præſtantia aut vilitas, quemadmodum ſæpe experientia comprobavit. Studioſe denique ſatagunt pro modo Rex Hiſpaniæ & Galliæ, ut ſibi obnoxios aut ſaltem non infenſos ad hanc dignitatem promoveant.